

Band VIII., Nr. 2969, Seite 223-224

Der Edle Konrad von Magenheim überträgt seinem Sohn Zeisolf das Patronatrecht der Kirche in Ruhelberg und ihrer Tochterkirche in Bönningheim.

Lauffen, 1280. Mai 27.

Universis presentes litteras inspecturis Conradus nobilis de Magenhein notitiam subscriptorum. Noverint universi, quod ius patronatus ecclesie in Ruhelberg¹, cui annexa est ecclesia in Buninkain tamquam filia, cum omni iure, quod ad me pertinuit, cum suis attinentiis universis donavi libere Zeisolfo filio meo et in eum traditionis titulo transtuli, ut predictus Zeisolfus iure eodem utatur perpetuo libere et fruatur, ita etiam ut ipsius ecclesie rector, qui nunc eius curam gerit, eum non me suum recognoscat patronum eique exhibeat reverentiam et honorem patronis debitum et non michi, item hoc modo, quod ipse ad ecclesiam memoratam, quando vel quotienscunque eam exnunc vacare contigerit, me irrequisito, utpote qui in eum ius michi compepens transtuli titulo prenotato, quemcumque voluerit presentabit. Item constare cupio universis, quod omnibus obligationibus promissionibus a predictae ecclesie pastore michi factis seu instrumentis super hoc datis renunctiavi et renunctio per presentes nec quidquam de cetero a prefate ecclesie pastoribus, quicumque fuerint, exigere debeo aut aliquantulum extorquere, nec ipsum in iure prefato molestabo aliquatenus nec turbabo, prout ad supradicta me astrinxi ea promittendo corporali prestito iuramento. Preterea de consensu et auctoritate comitis de Vahingen eiusdem provincie langravii, in qua sita est ecclesia sepedicta, supradicto Zeisolfo meo filio deputavi tutorem videlicet nobilem virum Conradum de Liehtenberg, cuius auctoritate de cunctis suis negotiis bonis possessionibus et iure patronatus ecclesie prehabite disponatur. Sed si forte idem Conradus, antequam dictus Zeisolfus ad annos pubertatis legitimos pervenerit, decesserit, ei exnunc ut extunc de consensu langravii et comitis prelibati Albertum nobilem virum de Liehtenberg antedicti Conradi fratrem eiusdem Zeisolfi avunculum tutorem presentibus deputavi. Insuper hoc adiectum fuit, quod si forsitan ipse aliquas possessiones annexas et ius patronatus ipsius ecclesie alienaverit, pecuniam, quam ob illa percepit vel ex eis, in possessiones et redditus convertet, qui sint siti infra duo miliaria circa civitatem Baisinkein numeranda, et si ipse Zeisolfus me superstite sine liberis decesserit aut ius patronatus ecclesie pretaxate aut ea, que obinde

¹Ruhelberg = Runingenburc, Cleebromm, HN, W.

II

percepta fuerint, si alienatum exstiterit, ad me sine impedimento quolibet et contradictione cuiuslibet libere revertantur. Ceterum si post mortem meam ipse supervixerit et cum suis germanis hereditatis, quam dimisero, particeps esse voluerit, hoc quoa percepit reponet et tunc secundum ius et terre consuetudinem sive morem ipsa hereditas dividatur, in optione tamen ipsius erit, quod si dictum ius et sibi per me donata magis habere voluerit, non cogetur reponere quod percepit. Ut autem hec rata et indubitata permaneant et in omne tempus perdurent, presentes littere sunt munite nobilis viri et illustris Cunradi de Vaihingen comitis prescripti, Erkingeri senioris et Ulrici filii sui patruorum meorum scilicet de Magenheim, Sibotonis de Liechtenberg canonici Herbipolensis, Alberti et Cunradi nobilium de Liechtenberg atque mei et Wolframi de Lofen ac Conradi de Talhain munimine sigillorum, qui vocati et rogati interfuerunt. Item testes vocati et rogati: Waltherus nobilis de Stoicgosberc, Hermannus de Saszenhain, Rucgerus de Talhain et Waltherus frater ipsius, Emerhardus advocatus et . . . dictus Citvan, dictus Cosse et Cunradus de Baldeshoven milites, Gerungus de Baldeshoven et Bûrkardus de Hutingshain ac quam plures alii fide digni, quibus in hoc negotio, quamvis quidam ex eis illustres non fuerint, perhibendi de premissis testimonium tamquam illustribus tradidi potestatem.

Actum et datum apud Lofen in loco publico, anno domini millesimo CCLXXX., VI. kalendas Junii.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

67/450 fol. 85 r und v

Überlieferung und Textkritik:

Kopialbuch Nr. 264 (Liber obligationum Spir. II) im GLA Karlsruhe.

Editionen:

Beschreibung Oberamt Brackenheim, S. 217 Anm.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lauffen

Ortsindex:

Balzhof : Cleebronn HN

Balzhof Wohnplatz (1896)

Besigheim Wohnplatz (887)

Besigheim, LB

Bönnigheim Wohnplatz (892)

Bönnigheim, LB

Großsachsenheim Wohnplatz (1139)

Großsachsenheim, Sachsenheim, LB

Heutingsheim Wohnplatz (1168)

Heutingsheim, Freiberg am Neckar, LB

Lauffen am Neckar Wohnplatz (2024)

Lauffen am Neckar, HN

Lichtenberg Wohnplatz (1076)

IV

Lichtenberg, Oberstenfeld, LB
Magenheim Wohnplatz (1899)
Magenheim, Cleebronn, HN
Michaelsberg : Cleebronn HN
Michaelsberg Wohnplatz (1900)
Stocksberg Wohnplatz (1892)
Stocksberg, Brackenheim, HN
Talheim Wohnplatz (2214)
Talheim, HN
Vaihingen an der Enz Wohnplatz (1130)
Vaihingen an der Enz, LB
Würzburg, WÜ